



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 16. Hæc pacta a Cæsare firmata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

A. C. 1436.

*Æn. Sylv.
hist. Boh.*

c. 51.

*Cochl. hist.
Hussit. l. 8.*

dispositio summi Pontificis arbitrio relicta est: Orphanis quoque ac Thaboritis quo huic conventioni accedere possent sexennii tempus præfigebatur.

Die duodecima Julii Rochisana cum aliis quatuor Presbyteris nomine totius cleri sibi adhærentis, coram Imperatore in solio suo sedente, obedientiam Romanæ Ecclesiæ spondit. Postera die Bohemi, Moravique haud absimili solemnitate ab anathemate, ceterisque censuris absoluti, atque in Ecclesiam per Concilii Legatos introducti fuere. Attamen parum abfuit, quin eadem adhuc die pene in irritum conventa cecidissent; nam Rochisana, cum divina celebrarentur altare accedens, uni, quem iusserat ex laicis adesse, Christi sanguinem ex calice ministrabat, quo facto conventorum fides violata credebatur, adeo, ut quidam ex Synodi Legatis assererent, in aliena Diocesi id non esse licitum, necnon a Rochisana in eo, quod Sacrum in Ecclesia non sua celebrasset, crimen fuisse commissum. Composita tamen lis est eo ex capite, quo conventum fuerat, *ne paucis pacta violantibus, communis concordia rumperetur.*

§. XVI.

Hæc pacta a Cæsare firmata.

Imperator, qui hæc concordata primum quin-

quinta die Septembris regia sua ma-
 nu firmaverat, heroicum magnanimitatis
 suæ specimen dedit, dum vocatis ad
 se Bohemorum Principibus, eoquod No-
 biles, ceterique regni accolæ multas ca-
 lamitates ab Hussitarum exercitu perpe-
 si essent, liberali manu inter eos sexagin-
 ta millia Imperialium distribuit, illisque,
 quorum greges penitus destructi erant,
 ex Hungaria pecudes adduci iussit.

§. XVII.

*Sigismundus Imperator Pragam in-
gressus.*

Compositis itaque hisce diffidiis intesti-
 nis, ac Religionis bello feliciter ex-
 tincto, quo solidos viginti duos annos
 totum Bohemiæ regnum, eique adjacentes
 Provinciæ, necnon nobiliores Septen-
 trionis regiones misere devastatæ fuere,
 tandem reddita pace Imperator Sigis-
 mundus vere regali magnificentia ac sum-
 mo applausu Pragam ingreditur mense
 Septembri, eadem omnino die, ut testan-
 tur Historici, qua paulo ante ab ipsis Bo-
 hemis exauctoratus fuerat, qui non sine
 atrocissima calumnia, illum ex adulterio
 natum Antichristi Filium, sacrilegum, &
 publicæ quietis perturbatorem proclama-
 bant. Sigismundus insidens throno, qui
 in foro civitatis erectus erat, jurata om-
 nium